Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36527
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

miserant pueros vel illos vel utrosque; Nisi vero approbat quisquam
bonus rerum arbiter vapulasse me quia ludebam pila puer:
et eo ludo impediebar quominus celeriter discerem litteras
quibus maior deformius luderem. Aut aliud faciebat
idem ipse a quo vapulabam. Qui si in aliqua questiuncula
a condoctore suo victus esset, magis felle atque invidia tor-
queretur, quam ego cum in certamine pile a collusore meo supe-
rabar. Et tamen peccabam domine deus ordinator et creator re-
rum omnium naturalium, peccatorum autem tantum non or-
dinator: domine deus meus peccabam faciendo contra precepta paren-
tum et magistrorum illorum. Poteram enim postea bene uti litteris
quas volebant ut discerem quocumque animo illi mei. Non
enim meliora eligens inobediens eram, sed amore ludendi
amans in certaminibus superbas victorias, et scalpi au-
res meas falsis fabellis quo prurirent ardentius. eadem
curiositate magis magisque periculosa micante in specta-
cula ludosque maiorum. Quos tamen qui edunt ea dignitate
preditii excellunt, ut hoc pene omnes optent parvulis suis.
Quos tamen cedi libenter patiuntur, si spectaculis talibus im-
pediantur a studio quo eos ad talia edenda cupiunt per-
venire. Vide ista domine misericorditer et libera nos invo-
cantes te: Libera etiam eos qui nondum te invocant ut in-
vocent te et liberes eos. Audieram enim ego adhuc puer
de vita eterna promissa nobis per humilitatem domini dei nostri
descendentis ad superbiam nostram. et signabar iam signo cru-
cis eius et condiebar eius sale iam inde ab utero matris mee que
multum speravit in te. Vidisti domine cum adhuc puer essem
et quodam die pressus stomacho repente estuarem pene mo-
riturus. vidisti deus meus quoniam custos meus iam eras quo